



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum fideles teneantur potestatibus sæcularibus obedire? 6

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

tia esset illicita. Sic ergo potest triplex obedientia distingui: una sufficiens ad salutem, quæ scilicet obedit in his, ad quæ obligatur: alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis: alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit.

ARTIC. VI.

Vtrum Christiani teneantur secularibus potestatibus obedire?

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod Christiani non teneantur secularibus potestatibus obedire. Quia super illud Math. 17. Ergo liberi sunt filij: dicit gloss. * Si in quolibet regno filij illius regis, qui regno illi præfertur, sunt liberi; tunc filij regis illius, cui omnia regna subduntur, in quolibet regno liberi esse debent. Sed Christiani per fidem Christi facti sunt filij Dei: secundum illud Ioannis primo, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ergo non tenentur potestatibus secularibus obedire.

551
2. d. 44. q.
2. x. c.
quo 2. a.
9. cor.
est Aug.
lib. 1. qu.
evang. c.
23. to. 4.

¶ 2 Præterea, Ad Romanos 7. dicitur, Mortificati estis legi per corpus Christi: & loquitur de lege diuina veteris testamenti. Sed minor est lex humana, per quam homines secularibus potestatibus subduntur, quam lex diuina veteris testamenti. Ergo multo magis homines per hoc, quod sunt facti membra corporis Christi, liberantur à lege subiectionis, qua secularibus principibus astringebantur.

¶ 3 Præterea, Latronibus qui per violentiam opprimunt, homines obedire non tenentur. Sed Augustinus dicit in 4. de Ciuit. Dei *, Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Cum ergo dominia principum secularium plerumque cum iniustitia exerceantur, vel ab aliqua iniusta usurpatione principum sumpserint: videtur quod non sit principibus secularibus obediendum à Christianis.

cap. 4. in
prin. to. 5

Sed contra est, quod dicitur ad Titum 3. Admone illos principibus & potestatibus subditos esse: & 1. Petr. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ

Mm 4 pro-

propter Deum, siue regi, quasi præcellenti, siue ducibus, tamquam ab eo missis.

RESPONDEO dicendum, quòd fides Christi est iustitiæ principium & causa, secundum illud Roman. 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi. Et idè per fidem Iesu Christi non tollitur ordo iustitiæ, sed magis firmatur. Ordo autem iustitiæ requiritur, ut inferiores suis superioribus obediant. Aliter enim non posset humanarum rerum status conservari. Et idè per fidem Christi non excusantur fideles, quin principibus secularibus obedire teneantur.

ant. præc. Ad primum ergo dicendum, quòd sicut supra dictum est *, seruitus qua homo homini subijcitur, ad corpus pertinet, non ad animam, quæ libera manet. Nunc autem in statu huius vitæ per gratiam Christi liberamur à defectibus animæ, non autem à defectibus corporis: ut patet per Apostolum ad Romanos 7. qui dicit de seipso, quod mente seruit legi Dei, carne autem legi peccati. Et idè illi qui sunt filij Dei per gratiam, liberi sunt à spiritali seruitute peccati: non autem à seruitute corporali, qua temporalibus dominis tenentur astricti, ut dicit gloss. super illud 1. ad Timotheum sexto, Quicumque sunt sub iugo serui, &c.

Ad secundum dicendum, quòd lex vetus fuit figura noui testamenti. Et idè debuit cessare veritate veniente. Non autem est simile de lege humana, per quæ homo subijcitur homini. Et tamen etiam ex lege diuina homo tenetur homini obedire.

Ad tertium dicendum, quòd Principibus secularibus in tantum homo obedire tenetur, in quantum ordo iustitiæ requirit. Et idè si non habeant iustum principatum, sed usurpatum, vel si iniusta præcipiant, non tenentur eis subditi obedire, nisi forte per accidens, propter vitandum scandalum vel periculum.